

n. 4; Pirhing, h. t. n. 4; Engel, in *Manual. paroch.* part. II, cap. 1, n. 5, cum communi, arg. can. *Ecclesie antiquitas*. 43, et can. *Quicumque*. 44, cau. 16, q. 1, ibi: «Omnino providendum est episcopo, aut aliæ ecclesie antiquiores propter novas suam justitiam aut decimam non perdant, sed semper ad antiquiores ecclesias persolvatur,» et c. 1, de *Novi operis nuntiatione*. ibi: «Nulla ecclesia in præjudicium alterius est construenda.» Hinc ante ædificationem ecclesie novæ citandi, et audiendi sunt circumjacentes rectores ecclesiarum, præsertim parochialis, ad audiendum, an nullum objicere habeant præjudicium, aut gravamen contra novam ecclesiam: quod si eis inauditis ecclesia nova ædificatur, possunt in ædificanti novum opus nuntiare, eaque nuntiatione efficere, ut ab ædificio statim cessare, et post annuntiationem ædificata, propriis expensis destruere teneatur ædificans claris juribus, c. 1 et 2, de *Novi operis nuntiatione*, et ibi doctores communiter, atque Engel, loc. cit. Præjudicium autem, quod alteri ecclesie inferri potest, plerumque est damnum et cohærentia ædificii, vel participatio sumptuum in constructione, aut consecratione: vel damnum sequens ex diminutione decimarum, oblationum, aut aliarum possessionum, vel jurium, ut post alios bene advertit Barbosa, de *Offic. et potest. episc.* allegat. 26, n. 1, item lib. II, *Juris Eccles. univ.* cap. II, n. 14.

12. *Limitatur in erectione novæ parochiæ.* — Dicitur autem notanter «regulariter,» quia dantur causæ, ob quas ecclesia nova in præjudicium alterius etiam parochialis ecclesie ædificari potest; præcipue si ob nimiam distantiam, incolæ loci ad priorem ecclesiam sine magna difficultate, præsertim tempore hyemali, aut cum pluvie inundant, venire non possunt; hoc enim in casu novam ecclesiam parochialem ædificari, vel jam extantem pro parochiali deputari per episcopum etiam invitis rectoribus antiquarum ecclesiarum, ac in eorum præjudicium posse, imo et debere, expresse statuitur a concilio Tridentino, sess. 21, de *Reform.* cap. IV, cujus textum lege supra tit. XXXIX, de *Paroch.* n. 4, ac c. *Ad audientiam*. 3, h. t.

13. *Ad erigendam novam parochiam requiritur I, justa causa. Et quæ talis?* — Quæritur II. Quæ conditiones requirantur ad hoc, ut episcopus novam parochiam rite erigat? Resp. Plures requiri conditiones: veluti

*Primo*, justa causa, quia sine hac manet regula generalis, quod intra limites unius parochiæ alia ædificari non possit, ut bene observat Fagnanus, in c. *Ad audientiam*. 3, h. t. n. 14. Talis autem justa causa præcipua est nimia distantia ecclesie parochialis, seu nimia amplitudo parochiæ, ita ut parochiani ad ecclesiam parochialem pro sacramentis percipiendis, et divinis audiendis venire sine magna difficultate aut incommoditate non queant, prout expresse concilium Tridentinum, loc. cit. et c. 3, h. t. ibique doctores omnes, inter quos Fagnanus, loc. cit. n. 17, bene advertit, non esse necesse ad sufficientiam hujus causæ, quod jam aliquando parochiani sine sacramentis decesserint, sed sufficere, si talis casus revera sit periculum, ut censuit sacra Congregatio apud eundem Fagnanum ex ea ratione; quia melius est occurrere in tempore, quam post exitum vindicare,» L. 1. C. *Quando lic. sine judic.* item «quia melius est intacta jura servari, quam post causam vulneratam remedium quærere.» L. fin. C. *In quibus caus. in Integr. restit. non est necess.* Advertit tamen bene Abbas, in cit. c. 3, h. t. quod, cum concilium Tridentinum magnum incommodum, et c. 3, h. t. magnam difficultatem requirat, aliqualis aut modica difficultas non præbeat sufficientem causam, parochiam dividendi. Quæ autem sit magna incommoditas, aut difficultas, quæ etiam distantia, vel amplitudo sufficiens ad dividendum, relinquatur arbitrio episcopi, uti ex sacre Congregationis decreto refert Barbosa, de *Offic. et potest. episc.* allegat. 68, n. 2; Fagnanus, loco cit. n. 18, arg. c. *de Causis. de Offic. delegat.* Similis causa etiam censetur, quando inter populum alicujus villæ, et parochialem ecclesiam torrens, seu flumen intercedit, quod pontem non habet, nec vado pertransiri potest; quæ est etiam causa sufficiens sine distantia loci, ut loc. cit. notant Fagnanus, Barbosa, allegat. 68, n. 1, arg. cit. *Concil. Trident.* et c. 3, h. t. undecumque enim populo proveniat magna difficultas percipiendi sacramenta, et alia divina justa censebitur causa, cum concilium loc. cit. divisive loquatur; ibi: «Ob locorum distantiam, sive difficultatem.» consequenter utrumque sufficere aperte insinuet, arg. c. *Inter cæteras. de Rescript.*

14. Alia causa est, si parochus cum suis capellanis habitet intra mœnia civitatis portis clausæ, et populus saltem de nocte non

habeat accessum ad eum pro percipiendo Viatico, aut Extrema Unctione in casibus præsertim repentinis. Fagnanus, et Barbosa loc. cit. eo quod currat hic eadem juris ratio, consequenter etiam eadem juris dispositio, l. *Non possunt. ff. de Legibus.*

15. II. *Citatio antiqui parochi.* — *Secundo* requiritur, ut ante divisionem citetur, et audiatur parochus antiquus, Fagnanus, loc. cit. et alii cum Glossa in can. *Nulli*. 2, dist. 99, §. *Constitui*; atque censui sacra Congregatio apud Fagnanum, loc. cit. Licet enim possit parochia dividi, etiam invito rectore, seu parochi antiquo cit. c. 3, h. t. et *Concil. Trident.* loc. cit. tamen citari et audiri debet, sicut et alii, quorum interest, arg. can. *Felix*. 50, et seq. cau. 16, q. 1. Ratio est, quia dantur certa media, per quæ, si rectores volunt, divisionem parochiæ, et erectionem novæ, ex causa alias futuram impedire possunt; si enim rector ecclesie, vel alii interesse habentes se offerant, quod in distant districtu velint competenter sustentare sacerdotem curatum, ad nutum parochi amovibilem, ibique ecclesia pro administrandis divinis apta existat, vel construat, ita ut parochianis quoad divina satisfieri commode queat, divisio parochiæ antiquæ, et erectio novæ omitti potest, ut ex Lapo docet Fagnanus, loc. cit. n. 20, quam doctrinam probavit sacra Congregatio apud Fagnanum.

16. I. et IV. *Competens dos parochi novi.* — *Tercio* requiritur, ut parochi novo certus districtus assignetur juxta dicta, tit. XL, n. 6. *Quarto*, ut eidem dos competens, seu sufficientes attribuantur redditus, textu claro c. 3, h. t. et concil. Trident. loc. cit. de quibus redditibus assignandis vide tit. XXX, de *Decimis*. a n. 104, et XL, n. 6, ac principaliter concilium Tridentinum, sess. 21, de *Reform.* cap. IV, ubi inter alia disponit, quod si redditus pro utroque, antiquo nempe, et novo parochi non essent sufficientes, posset episcopus compellere populum ad subministrandum; et si hic ob inopiam succurrere nequit, tenebitur Abbas, vel præpositus, aut alius, cui ecclesia in temporalibus subest. Pirhing, h. t. n. 11, arg. c. *Extirpandæ*. 30, prin. de *Præb.* et c. 2, § fin. dist. 70. Et tandem præfatis omnibus deficientibus episcopus, si commode potest, Fagnanus in c. *Ad audientiam*. h. t. n. 32, can. *Præcipimus*. 24, cau. 12, q. 1, et can. *Præsulum*. cau. 16, q. 3.

17. V. *Ut antiquo parochi maneat juspatronatus ad novam.* — *Quinto* requiritur, rectori antiquæ ecclesie relinquatur jus præsentandi ad novam parochiam, textu expresse c. 3, h. t. ibi: «Ad præsentationem rectoris ecclesie majoris;» intellige, si ex redditibus antiquæ ecclesie ædificata, aut dotata est nova; si enim nec ad constructionem, nec ad dotationem aliquid contulit ecclesia antiqua, juspatronatus non ei, sed quibus de jure competit, illis nempe, quæ ædificaverunt, dotarunt, aut fundarunt, uti bene observat Fagnanus, in cit. c. 3, h. t. n. 39, et ibi Abbas, n. 9 et 10, quos sequitur Pirhing, h. t. n. 12, atque probavit sacra Congregatio apud Fagnanum, loc. cit. contra Innocentium, in c. *Cum venerabilis. de Excep.* et Joan. Andream, in c. 1, de *Capell. monach.* in 6. Ratio est, quia juspatronatus non acquiritur nisi dotatione, fundatione, aut ædificatione, per dicta superius tit. de *Jurepatronat.* Nec obstat textus c. 3, h. t. quia censetur tantum loqui de casu, quo antiqua Ecclesia aliquid contribuit, per verba; quia igitur «Ecclesia dicitur redditibus abundare.» Nec dicitur ecclesia antiqua fundare novam ex eo, quod futuræ oblationes ex parte eidem decedant, et accedant novæ, ut loc. cit. notat Fagnanus.

18. VI. *Ut eidem a novo parochi debitus exhibeatur honor: et quis?* — *Sexto* requiritur, quod ecclesia nova teneatur antiquæ parochialis exhibere competentem honorem; qui secundum aliquos consistit in hoc, quod vel nova debeat antiquæ dare aliquem censum annum moderandum arbitrio episcopi, Fagnanus, loc. cit. arg. c. 2, de *Censib.* vel quod debeat nova antiquam adire pro Baptismo, vel quia alia jura in erectione novæ parochiæ sunt reservata antiquæ, Fagnanus, loc. cit. et ibidem Abbas, n. 8.

19. VII. *Ut fiat cum consensu capituli.* — *Septimo* requiritur consilium et consensus capituli. Fagnanus, loc. cit. n. 10, et ibi Joan. Andreas, ac Hostiensis, n. 2; Pirhing, h. t. n. 10, cum communi aliorum. Ratio est, quia divisio parochiæ aliquam saltem secum trahit dismembrationem reddituum ad antiquam ecclesiam parochialem pertinentium consequenter alienationem importat, quæ sine consensu capituli fieri nequit, c. *Cum nos. c. Tua. c. Pastoralis. de His, quæ fiunt a prælat. sine consensu capituli.* Accedit, quod ad unionem unius ecclesie cum alia faciendam requiratur consensus capi-

tuli. Clem. *Si una*. eod. in 6, ergo etiam in parochiis dividendis, arg. c. 1, *de Reg. jur.* in 6, ibi: « Omnis res per quascunque causas nascitur, per easdem dissolvitur, » et l. *Heredes palam*. § *Si quid post. ff. de Testam.*

20. Limitat tamen Fagnanus, loc. cit. a n. 51, doctrinam n. præced. positam in casu, quo episcopus dividit parochiam subjectam regularibus exemptis (prout etiam omnino potest teste Fagnano, loc. cit. et Barbosa, *de Offic. et potest. episc.* allegat. 68, n. 6, ubi ad hoc refert declarationem cardinalium). Ratio disparitatis est, quia divisionem parochiæ non exemptæ facere potest, et facere censetur jure ordinario, sibi competente ex c. *Ad audientiam*. h. t. divisionem vero parochiæ regularibus exemptis subjectæ, indeque suo modo exemptæ, non facit, nec facere potest jurisdictione ordinaria, sed delegata summi Pontificis, per concilium Tridentinum, sess. 21, *de Reform.* cap. iv, ibi: « Episcopi etiam tanquam Sedis apostolicæ delegati. » etc. Quando autem episcopus procedi tanquam delegatus Sedis apostolicæ, non requiritur consensus capituli, hoc ipso, quod Papa a capitulo in nullo dependeat, uti loc. cit. bene discurret, et hanc doctrinam amplius prosequitur Fagnanus, eumque sequitur Pirhing, h. t. n. 40, et alii.

21. VIII. *Ut episcopus per se, vel per alium speciali mandato erigat.* — Tandem requiritur, ut parochiam novam erigat episcopus vel per se, vel per vicarium generalem dando eidem ad hoc speciale mandatum; generale enim non sufficit, prout declaravit sacra Congregatio apud Fagnanum, loc. cit. n. 41. (ADNOTATIO LVI.)

22. *Reparare ecclesiam quinam, et quomodo teneantur?* — Quæritur III. Quoad secundam tituli partem, quisnam debeat reparare ecclesiam, casu quo ruinam minatur, vel omnino corruat? Resp. I. Ante omnia attendendam esse consuetudinem loci. Abbas in c. 1, h. t. n. 3; Engel, h. t. n. 8; Barbosa, in c. 1 et 4, h. t. arg. c. *Ad apostolicam*. 42, *de Simonia*, et can. *Decrevimus*. cau. 10, q. 1.

23. Resp. II. Speciali consuetudine non existente, ecclesiæ reparari debent, de ipsius ecclesiæ redditibus, quos habent, can. 1 et 2, cau. 10, q. 3; juncto concilio Tridentino, sess. 21, *de Reform.* cap. vii, et tenet Glossa finalis in c. 1, h. t. communiter recepta.

24. Resp. III. Si ipsa ecclesia nullos habeat redditus, vel saltem non sufficientes ad reparationem, eam reparare, vel ad reparationem concurrere debent rectores ecclesiæ parochi nempè in ecclesiis parochialibus, et beneficiati in ecclesiis non curatis: ad quod tamen etiam concurrere debent patroni, necnon et alii, qui aliquid de ecclesiæ fructibus accipiunt. De rectoribus ecclesiæ patet expresse, ex c. 1, h. t. ibi: « Quicumque ecclesiasticum beneficium habent, omnino adjuvent ad ecclesiæ tecta restauranda, ipsasque ecclesias emendandas, et c. 4, eod. ibi: « Qui parochiales ecclesias habent, ad reparationem ecclesiarum cogi debent: » et tenent in utrumque capitulum doctores communiter. De aliis statuit novissime concilium Tridentinum, sess. 21, *de Reform.* cap. vii, per textum infra n. seq. Et quidem patroni concurrere tenentur, etsi fructus aliquos ab ecclesia non percipiant, ut docet Bellet. *Disquisit. cleric.* p. I, *de Clerico debitore*. § 14, n. 11; Barbosa, in *Concil. Trident.* sess. 21, *de Reform.* cap. vii, n. 8, et in c. 4, h. t. n. 4, contra Lambertin. et Pirhing, h. t. n. 20, ubi citat Barbosam, sed minus recte, cum hic contrarium doceat, arg. *Concil. Trident.* loc. cit. Ratio est, quia etsi patronus aliquis redditus de ecclesia nullos percipiat, habet tamen ab illa emolumentum, fructus nempe jurispatronatus, vi cujus habet honoratiorem locum, et alimenta in necessitate.

Circa obligationem beneficiatorum reparandi ecclesiam, notandum, eos non nisi de redditibus ecclesiasticis superfluis ad reparationem teneri, non autem de necessariis nec de patrimonialibus, etsi hæc eis superflua forent, arg. c. 4, h. t.; Bellet. loc. cit. et alii.

25. Resp. IV. Si ecclesia nullos redditus habet, beneficiati non nisi necessaria, vel aliqua quidem superflua, sed ad reparationem insufficientia percipiant, patroni item pauperes sint, tunc ad reparandam ecclesiam tenentur parochiani, qui in illa ecclesia sacramenta, et alia divina percipiunt, et in quorum gratiam est reparanda: ita clare statuitur a concilio Tridentino, sess. 21, *de Reform.* cap. vii, ubi ordo obligationis reparandi hactenus specificatus habetur illis verbis: « Parochiales vero ecclesias, etiam si jurispatronatus sint, ita collapsas refici, et instaurari procurent ex fructibus, et proveniuntibus quibuscunque, ad easdem ecclesias

quomodocumque pertinentibus; qui si non fuerint sufficientes, omnes patronos, et alios, qui aliquos ex dictis ecclesiis provenientes percipiunt, aut in illorum defectum, parochianos omnibus remediis opportunis ad prædicta cogant; quacunque appellatione, exemptione, et contradictione remota. Quod si nimia egestate omnes laborent; ac matrices, seu viciniores ecclesias transferantur, cum facultate, tam dictas parochiales, quam alias ecclesias dirutas, in profanos usus, non sordidos, erecta tamen ibi cruce, convertendi. » Barbosa, in cit. c. 4, h. t. cum aliis existimat, deficientibus prædictis omnibus posse, ac debere recurri ad publicum ararium communitatis.

26. *Qui reparare tenentur ecclesiam, etiam ad reparandam domum parochialem et ecclesiæ paramenta tenentur.* — Porro quæ diximus de reparatione ecclesiæ, intelligenda etiam sunt de reedificatione, ac refectione domus parochialis, aut beneficiati, ita, ut qui, quando et qualiter tenentur ad reparationem ecclesiæ, iidem etiam teneantur ad reparationem adium rectoris ecclesiæ, juxta declarationem sacre Congregationis, prout ex Barbosa in cit. c. *De his*. h. t. n. 5, refert Pirhing, h. t. p. 16. Idem Barbosa in c. ii. h. t. n. 2; Belletus, *Disquisit. cleric.*, p. 1, tit. *de Clerico debitore*, § 14, n. 4. Surdus, et alii, quos sequitur Pirhing, loc. cit. volunt, quod parochi, sicut et alii beneficiati, deficientibus redditibus ecclesiæ teneantur etiam ad procuranda et reparanda paramenta ecclesiastica, puta, capsulas, pluvialia, albas, calices, etc. arg. c. 1, h. t. Ratio est, tum quia sine his divina celebrari nequeunt; tum quia fabrica ecclesiæ, et præparatio ornamentorum parificantur, arg. c. fin. *de Testament.*

27. *Observatio practica.* — Colliges, plane male agere illos parochos, canonicos, vel beneficiatos, qui abundantibus provisi redditibus nil contribuere volunt pro paramentis ecclesiasticis, licet videant, quod egens ecclesia vel nullos; vel certe non sufficientes habeat redditus pro comparandis necessariis et decentibus paramentis, ex quo fit, quod non raro videre sit ditissimos ex redditibus ecclesiasticis parochos, paramenta vero ecclesiæ deterrima, lûridissima, ac insufficientia, non sine scandalo plebis.

28. *Specialia de reparatione ecclesiæ cathedralis.* — Circa reparationem ecclesiæ cathedralis illud speciale est, quod ad eam

episcopus solus teneatur (si superfluos redditus habet, et nisi ipsa ecclesia redditus pro fabrica habeat, aut consuetudo aliud exigat) Barbosa in c. 1, h. t. n. 5; Belletus, loc. cit. § 13, n. 12; Pirhing, h. t. n. 19 et communiter, arg. can. *Decernimus*, cau. 10, q. 2 et can. *Quatuor*. cau. 13, q. 2. Quod si episcopus superflua non habeat, canonici superfluos redditus habentes compelli possunt, arg. c. fin. *De his, quæ sunt a prælat.* n. Doctores citati, et ibi Abbas, n. 7. Et si hi superflua non habent, aut non sufficientia ad reparationem, compelli potest clerus de superfluis redditibus; vel potest episcopus cum capitulo deputare fructus Beneficiorum vacantium.

## § II.

DE ÆDIFICATIONE ET ERECTIONE MONASTERIORUM, CONVENTUUM, ET ALIORUM LOCORUM RELIGIOSORUM.

29. *In ædificatione monasterii observandæ sunt constitutiones Clementis VIII, Gregorii XV et Urbani VIII, quæ per extensum ponuntur.* — Quæritur I. Quid requiritur, et observandum sit in erectione novorum monasteriorum? Resp. Attendi ante omnia et observari debent novissima circa hanc materiam decreta tria, videlicet Clementis VIII. quod incipit, *Quoniam ad institutam*, editum 23 julii anno 1603, quod reperitur in tomo tertio *Bullarii*. Dein decretum Gregorii XV, quod incipit, *Cum alias*, et est in *Bullario Romano*, ordine 31, inter constitutiones ejusdem Pontificis. Ac tandem decretum Urbani VIII, editum 21 junii 1625, ordine 45, inter constitutiones hujus Pontificis, quæ per extensum hic subjungere placuit.

**Clemens papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.**

« Quoniam ad institutam regularium locorum et personarum reformationem promovendam, et conservandam maxime pertinet, ut in quibusque domibus et monasteriis is tantum numerus religiosorum, qui commode ibidem ali possit, contineatur, ac eo pariter spectat ut in quibusque civitatibus et locis, novæ domus et monasteria, præsertim Mendicantium non erigantur, nisi in eisdem civitatibus et locis, aliarum domorum, et monasteriorum in eis existentium habita